

obscurè significat quaedam Gai scripta iam tunc summo studio et indubitata auctoritate recitari solita esse, eaque quis dubitat praeter res quotidianas, quae tanto in pretio habebantur, ut aureorum nomen mererent, fuisse omnia scholastica? quod etiam Collatio confirmat, paullo ante, ut videtur, composita, cuius auctor inter quinque illustres iureconsultos etiam Gai scriptis, sed tamen tantum Institutionibus eius usus est.

Sed in his ipsis, quas edimus, ut nunc paullo immoremur, iure dixeris praecleariorem de iure civili librum discentium in usum nunquam scriptum fuisse, sive dotium eius excellentiam sive mirificam fructus ubertatem et fatorum felicitatem spectes. Praestantia libri praecipue his rebus conspicitur: quod non, ut superiores libri omnes unam alteramve iuris civilis partem, sed revera, ut Lactantius 5, 4 § 3 a quibusque Institutionibus exigit, 'totius doctrinae substantiam continet', et eius quidem iuris, quo tum imperium Romanum utebatur, de quo iam dixi, substantiam vero ita felicissime enucleatam, ut adhuc rudis tironis animus nec ieiuna exilitate deterreretur, nec otiosa copia aut quaestionum subtilitate et difficultate opprimeretur. Deinde quod hanc ipsam substantiam dispositam habet non modo apte et commode omnino, sed ut, si summam spectas, nulla alia ex re ipsa petita divisio inveniri posse videatur: id quod, cum fontium iuris in ius gentium et ius civile divisio iam ex antiqua populi Rom. iurisprudencia retenta sit, maxime cadit in alteram illam et plane novam ipsius iuris privati in ius quod ad personas (lib. I), quod ad res (lib. II. III), et quod ad actiones pertinet (lib. IV) divisionem. Nam cum omne ius privatum partim in se ipso et per se spectato, partim in iure, cum in controversiam vocatur, adversus iniuriam obtinendo consistat, ipsumque ius rursus aut personas, quibus competit, respiciat, aut res, quae personis inserviunt, apprehendat, addito eo iure, quod actiones apprehendit civibus privatis, quibus iniuriam propulsent, non minus quam populis belli ius competentes, tres illae partes